

---

† R. P. Matthaeus Joyce (1880-1950)

(*Prov. Austral.*)

Natus est hic confrater tam amabilis et pius ac solida virtute ornatus in Rochester, in septentrionali Status Victoria parte, 4 Oct. 1880, et sancto fine quievit in Ballarat 5 Maii 1950, annum agens septuagesimum.

Beati dicendi sunt eius parentes, humiles coloni; quandoquidem ex eorum quindecim liberis duo filii, Matthaeus et Gulielmus, facti sunt sacerdotes Redemptoristae, et tres filiae a Deo vocatae ad Institutum Sororum Iosephitarum, primae instructioni iuventutis dicatarum. Praeterea duo nepotes hodie sunt Redemptoristae; unus est R.P. Augustinus Brennan, Dr. theolog. et Lector in studentatu Ballarat, alter est R.P. Geraldus Joyce, nunc Rector domus Singapore.

Matthaeus non potuit exemplum fratris minoris Gulielmi, nuper Rectoris Perthsensis, sequi nisi tardius, et in sua professione iam 35 annos numerabat. Tempore studiorum theologicorum se manifestabat horrendus morbus epilepsiae, unde Matthaeo studia abrumpenda erant, et iam ipse promptum se declararat ad reliquam vitam inter Fratres servientes degendam, cum salutem sufficienter recuperavit, et d. 25 Febr. 1923 cum S. Sedis Rescripto ad desideratissimam sacerdotii metam pervenit, annum agens quadragesimum tertium.

Ordinatio facta est in nostro sacello Galong, et in Galong viginti unum ex triginta quinque annis professionis transegit. Ita factum est ut colonis illius regionis agricolae esset mire notus, veneratus amatusque; siquidem omnes se ab hoc sacerdote optimo et affabili, qui diu ipse agros coluerat, plane comprehensos multumque amatos sciebant. Quanto amore

P. « Matt » proximum prosequeretur, ostendit hoc factum nobis a Pl. R.P. Cons. McMullan narratum. Sciens in urbe Sidney, a Galong haud parum distante, in nosocomio iacere hominem catholicum a sacramentis iamdiu alienatum, a Superiore petiit et obtinuit veniam faciendi longum iter, et postea exultabundus fratribus dicere potuit: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quae perierat* (Lc. 15, 6).

Per sex annos cum successu in iuvenatu docuit pueros elementa linguae vernaculae et latinae. In provecta aetate per duo triennia erat Rector, in Brisbane et Galong. Erat confratrum confessarius valde quaesitus; nullus quoque eo magis diligebat a Fratribus coadiutoribus, qui pro gratia sibi efflagitabant, ut ei aegrotanti nocturno tempore possent assistere. Ipsi animalibus rationis expertibus hic bonus senex carus esse videbatur. Constat sciuros, anglice *squirrels*, esse valde timidos et homine appropinquante aufugere; verum hic alter S. Franciscus Assisiensis poterat eos sibilando ad se vocare, in genua suscipere, manu sua cibum eis porrigitere etc.

*Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. 14, 21), et eo quidem magis, quo altius est gloriae solium singulis destinatum, etiam P. Matthei vita peculiariter crucis sigille signata erat. Saepe incommoda utebatur valetudine, sed virili fortitudine suas infirmitates aliis abscondere satagebat, neque unquam inde animi sui solitam festivitatem amittebat. Quam sucose etiam infirmitatis tempore ridere sciebat! In omni eventu potius latus bonum videbat. Quondam in senectute dixit iuveni confratri: « Cum annos 30 habebam, me fortunatum existimabam, si modo ad 50 annos perventurus essem; nunc vero ideo me fortunatum iudico, quod revera talem aetatem et amplius consecutus sum ».

Propter infirmam valetudinem a. 1946 Galong inter fletum ineolarum reliquit et Ballarat petiit. Ibi pluries ei supervenit subitanea haemorragia cerebralis; sed quamvis inde vario modo impediretur, non volebat deesse ulli actui communi a meditatione matutina usque ad preces vespertinas. Ultimus talis fluxus sanguinis d. 20 Mart. 1950 eum loquela privavit, non autem usu rationis. Pie recepit extremam unctionem et una alterave vice Viaticum. Ad mortem erat optime paratus iterata meditatione aurei libri Patris legiferi *Apparecchio alla morte*. Obiit in nosocomio S. Ioannis prima fer. VI mensis Mariani inter preces confratrum et Sororum. Vere huic sancto et amabili Redemptoristae applicari possunt (id quod funeris solemnia denuo confirmarunt) verba inspirata de Moyse scripta: *Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum* (Eccli. 45, 1).